

tionem, vocabat « rationem particularem, et intellectum passivum. » Addebat, « intellectum a gentem, » (inter separatas intelligentias infimam), immortalem, aeternam, hominibus adistentem, non multiplicem pro singulis eorum, sed unum in omnibus, proque diversa potentiae sensitivae conditione diversimode participatum. Consule Jacobum Bruckerum in Historia Critica Philosophiae, Tomo III. Impia et absurda doctrina haec maxime invaluerat inter sciolos ac vanos Academicos, quorum articuli censura Parisiensi notati aut ipsam involvunt et latenter significant, aut efferunt apertissime. Illiusmodi sunt: 117. « Scientia Magistri et Discipuli est una numero: ratio autem, quod intellectus sit unus . . . 121. Intellectus, qui est ultima hominis perfectio, est penitus abstractus. 125. Intellectus speculativus simpliciter est aeternus et incorruptibilis: respectu vero huius hominis corrumpitur, corruptis phantasmatibus; » per quae scilicet, veluti per instrumenta, agere aut intelligere dicebatur intellectus agens. Comento putidissimo adversa sunt ex diametro Sancti Thomae dogmata: tot rationales individuali differentia animos distingui, quot homines numeramus: iuxta numerum rationalium animorum ipsum etiam multiplicari intellectum, tum agentem, tum possibilem, ut aevo illo distinguebant et loquebantur: praeter specificam animorum et intellectuum nobilitatem, quae singulis communis est, gradus alios modoque perfectionis distingui oportere. « in intelligendo: » quorum alii originem habent a phantasmatibus, et alii ex ipso promanant individuationis principio. Hinc solida ratio patet, quae permoti Viri Doctissimi contendunt, non illud Stephano Tempier Episcopo Parisiensi consilium inesse potuisse, quod ipsi tribuunt aemuli Sancti Thomae, ut quas theses docuit Aquinas, vulgavitque in scholis, tametsi damnatis articulis fortasse consonae verbis tenus viderentur, sua notare censura voluerit. Successoris etiam Stephani de Bourretto prudentia maxime elucet, qui censuram Decessoris eo adhibito temperamento abrogandam abolendamque declaravit: « quatenus » videlicet « tangebatur, » aut potius « tangere aderebatur » sanam doctrinam Sancti Thomae. « Impudens fuerat vanorum hominum factus, qui Averroisticos aliosque errores facilius ut propinarent, sub innoxiae doctrinae, quam Aquinas et Magistri apprimae catholici tradiderunt, cortice tectos palliatosque vulgabant.

CAPUT III.

Roberti de Kildwardbi, et Joannis Pekami, Archiepiscoporum Cantuariensium, censura in thesim de una in homine forma substantiali. Refellitur.

I. Philosophicae, cum cisque connexae quaedam occurrunt, a Divo Thoma propugnatae theses, quas censoria virgula, dubio procul omni, iuxta ipsius Thomae sensum notarum Archiepiscopi duo Cantuarienses in Anglia, Robertus de Kildwardbi Ordinis Praedicatorum, et Joannes Pekamus ex Ordine Minorum adsumptus. In ea, quam tulit Kildwardbius, censura legitur Capite 5, num. 12, apud Carolum Duplessis d'Argentré saepe laudatum: « Item quod vegetativa, sensitiva, et intellectiva sunt una forma simplex, » vel « simpliciter: » nimirum in homine. Thesis est in Decreto Pekami

confixa anno 1286, num. 8. « Quod in homine est tantum una forma: scilicet anima rationalis: et nulla alia forma substantialis. » Hanc germanam esse doctrinam Sancti Thomae, quam Parisiis eorum palamque in scholis tradidit, scriptamque suis passim in Operibus reliquit, dubium nullum est. An eadem ergo pro damnato errore haberi debeat?

Nolim ego prolixam de philosophica thesi questionem instituire, veterem ac recentium Philosophorum hac de re placita enarrare, ac diligentius inquirere in illos unionis mentis cum corpore modos, qui multiplices exogitati sunt. In ea versatur Aquinas verissima sententia, quae rationalem animam seu mentem inflectitur, vel motorem esse praesidentem corpori veluti machinae mutae, ut aiebat Plato, vel separatam intelligentiam corpori adistentem, excipientemque phantasmatum, ut Averroes inquiebat. Consule caput 57 et sequentia libri secundi contra Gentiles. Aderebat vero rationale eandem animam facultate intelligendi praeditam, esse veram corporis formam, unam cum corpore efficientem substantiam: quod ex ponebat ratione, quae ceteris ejus aevi Magistri communis erat. Dissidium fervebat, dum una foret in homine huiusmodi forma substantialis, ex qua omnes proficerentur energiae, vita, sensus, intellectus: an totidem multiplicari substantiales formas oporteret, quot illae sunt praefatae energiae? Partem priorem amplexus est Aquinas, ab eaque discessit nunquam: solidumque causae, quam tubatur, praesidium in eo positum erat, quod ultro ejus aetatis Doctores admittebant, mentem esse veram corporis formam, ac totius compositi partem.

Ac sane invidiam, quam praedictae opinioni inferre conabantur nonnulli, amolitur omnem prudentissimum iudicium, quod illa etiam actate Doctissimi Viri de praedictae censurae et levitate et excessu tulerunt. Plura jam dedimus haec de re in Dissertatione XXV. Kildwardbium Archiepiscopum Cantuariensem gravissimis datis litteris insequutus est Guillelmus de Morbekia Archiepiscopus Corinthii: praecipitemque latam ab ipso in theses, aut innoxias et probabiles, aut etiam verissimas, censuram contendi. Testatur Guillelmus Ochamus in Dialogis P. I, lib. II, Cap. 24, « plures alios ipsam » (Kildwardbii), damnationem putasse temerariam: « pluresque Parisienses Doctores et scholares asseriones damnatas a dicto Archiepiscopo publice tenuisse. »

Godefridus de Fontibus clarissimum in Parisiensi Universitate lumen, latissimum instituit Quod. 5, Art. 5, tractationem de thesi illa, quae in Decreto alterius Archiepiscopi Cantuariensis, Joannis Pekami, damnata legitur. Damnationis causas perquirat ac patefacit, quae videntur esse consecraria quaedam inde deducta: « Quod » scilicet « corpus Christi, vel alterius hominis, quantum ad formam, sit aliud vivum, et mortuum: vel divisum, » non idem numero. » Haec porro efferunt consecraria in septem prioribus articulis a Pekamo damnatis. Quatenus mens esset Godefridi, quatenus Parisiensium Doctorem, ipse aperit Godefridus loco citato: « Parisiis, inquit, non reputatur consequens vel antecedens continere errorem, » qui censoria virgula configi debeat. Immo testatur: « Multos Magistros in Theologia nuper scripsisse: quod nesciunt, illum articulum (de una forma in homine) ex quo omnes alii articuli sequuntur,

esse habitum pro haeresi, vel errore. Unde etiam nec Parisiis habetur pro errore « Quod Corpus Christi, vel alterius hominis, quantum ad formam, sit aliud vivum, et aliud mortuum, vel divisum: » licet esset error ponere « de Corpore Christi, quod non sit idem, quantum ad suppositum, vivum et mortuum; » in quo non est simile in aliis hominibus: » Palam est, Anglicanam Pekami censuram vix agnitam fuisse Parisiis, ipsamque insuper habitam contemptamque.

II. Verum impactos demum errores praecipue verat Sanctus Thomas, profligavitque tum junior in Quodlibetis, tum aetate ac sapientia proventus in Summa Theologica. Verba refero quae habentur Quodl. 2, Art. 4. « De Christo in triduo mortis » dupliciter loqui possumus. Uno modo quantum ad hypostasim vel personam: et sic est idem numero simpliciter, qui fuit. Aut quantum ad naturam humanam: et hoc dupliciter. Uno modo, quantum ad totam naturam, quae humanitas dicitur: et sic Christus non fuit homo in triduo mortis: unde nec idem homo, sed eadem hypostasis. Aut quantum ad partem humanae naturae: et sic anima quidem fuit omnino eadem numero, eo quod non est transmutata secundum substantiam: corpus vero idem numero secundum materiam, sed non secundum formam substantialem, quae est anima. Unde non potest dici quod simpliciter fuerit idem numero, quia quaelibet differentia substantialis excludit idem simpliciter. » Postremam istam sententiam partem magis illustrat Doctor Angelicus in Summa Theologiae P. 3, Quaest. 1, Art. 3, ipsamque sententiam tenet ac vindicat: « Dicendum, inquit, quod hoc quod dico simpliciter, potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod simpliciter idem est quod

absolute: sicut simpliciter dicitur quod nullo addito dicitur. Et hoc modo Corpus Christi mortuum et vivum simpliciter fuit idem numero: dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est supposito idem. . . . Alio modo simpliciter idem est, quod omnino vel totaliter: et sic Corpus Christi mortuum et vivum non fuit simpliciter idem numero, quia non fuit totaliter idem, cum vita sit aliquid de essentia corporis viventis etc. »

Hinc latissimum quod inter Corpus Christi vivum et mortuum, ac inter vivum et mortuum alterius hominis corpus, versatur discrimen, loco citato explanat Aquinas ad 1: « Quod corpus mortuum ejusque alterius hominis non remanet unitum alicui hypostasi permanenti, sicut Corpus Christi mortuum: et ideo corpus mortuum ejusque alterius hominis non est idem simpliciter, sed secundum quid: quia est idem secundum materiam, non autem idem secundum formam. » Amplioribus vindiciis doctrinae Aquinatis non eget: ipsumque demum, quod ad sanctorum reliquias attinet, ex quibus objectionem promunt Adversarii, consule in eadem tertia parte, Q. 25, Art. 6, ad 3, sic disserentem: « Corpus mortuum alicujus Sancti non est idem numero quod primo fuit dum viveret, propter diversitatem formae, quae est anima: est tamen idem identitate materiae, quae est iterum suae formae utiendi ». Subtiliorem quamdam addeunt discipuli Sancti Thomae questionem de quantitate, an eadem remaneat in corpore vivo et mortuo: qua de re vide Liberium a Jesu Carmelitam exalecatum, in Controversiis Dogmaticis Tomo 1, Parte 5, Disp. 4, Controv. 14, num. 77.

DISSERTATIO IV.

DE VANA AC INJUSTA CORRUPTI OPERUM SANCTI THOMAE AQUINATIS TEXTUS SUSPICIONE, PER INVECTAS AUT FALSAS, AUT ALIENAS A COMMUNI SENSO, AUT DAMNATAS OPINIONES.

CAPUT I.

Jo. Baptistae Pozae iudicium refutatur, de nonnullis Thesisibus, quae in Sancti Thomae Aquinatis Operibus habentur, ac censura dignae judicantur. Catholica fides de uno in Sanctissima Trinitate, vel duobus Spiritoribus. Varia Aquinatis dicta, per sese innoxia, conciliantur. Critica Dionysii Petavii animadvertio ad examen vocata.

I. Veteres ac recentiores plures insequuti sumus superioribus in Dissertationibus hostes, qui Theologiae nonnulla, ac etiam Philosophica, a Sancto Thoma Aquinate propugnata dogmata, aperto Marte oppugnarunt, eademque vel in suspicionem erroris adducere conati sunt, vel tamquam censorio Episcoporum et Magistrorum iudicio notata rejici oportere, jusserunt. Arma straminea, invalidos ietus, irritosque conatus colubimus. Novum genus pugnae Jo. Baptista Poza in suo Elucidario molitus S. Th. Opera omnia. V. 7.

est: bellumque non indicit Sancto Thoma, sed codicum Thomae corruptoribus. Fatetur ille apud Joannem a Sancto Thoma, Disp. 2, de Approbatione doctrinae ejusdem Angelici Praeceptoris, Art. 1, « nullam propositionem damnatam e calamo et mente Sancti Thomae excidisse: si qua est, a tempore; ab Amanuensibus, a Typographis inventam esse: nolle se iudicium ferre, an omnes istae propositiones mereantur censuram, et quam: se tamen nihil sinistrum in Operibus ejus, nisi ex depravatione Codicum admittere. »

Pozae itaque si credimus, prostant in Operibus Thomae tum manu exaratis, tum prelo editis theses non paucae, quae damnatae, vel censura dignae videri possint. Quisque colligeret, traditas eas ab Auctore fuisse, decepto, vel errante. Non ita iudicium ferendum admoenit ille, cum temporis lapsu, Amanuensium imperitia, oscitantia Typothetarum, codicum certe depravatione, damnata illa, aut damnanda, aut aliena a communi sensu Doctorem, irreperere dogmata poterint. Si bella

haec est erga S. Thomam urbanitas, Joanne a S. Thoma animadvertente; injuria negari non potest, eademque maxima, qua Typographi, editionum curatores, Amanuenses onerantur.

An vero ita fuerint imperiti Amanuenses, aut iniquo consilio ducti, ut Codices, quos manu exarabant, erroribus inquinarent? An ita prelum Typographi erraverit, ut praeter sucta menda, errores etiam non pauci irrepserint catholicae fidei parum consoni? An denique editionum curatores non viderint errata putida, quae irrepserant; aut eadem, tametsi nossent, delere aut corrigere noluerint? Portenta sunt haec omnia: ac illud omnium sane maximum, tot ex codicibus remotioris aevi et sequioris, tot etiam ex editis exemplis, quae fere innumera sunt, neque unum potuisse interpolatricis iniquae manus effugere depravationes!

Age vero: quoniam fuerint hujusmodi, quibus inquinata prostant Thomae opera, depravationes? Id genus errorum verba tua enunciant, quae ab imperitis Amanuensibus, et ab oseitantibus Typographis profecti solent. Sed haec lector quisque paulo attentior, facillimo negotio valet, aut contextu ponderato, aut similibus locis collatis, corrigere et expungere, vera et genuina lectio restituta. Immo vero quae menda in operibus Thomae prostrae dicuntur, non sunt, auctore Poza, solitaria quaedam verba, neque brevia periodorum membra: sunt enim thesae datae opera propugnatae, rationum momentis munitae, et emergentibus expeditae difficultatibus in objectionum solutione. Quis porro audivit unquam, errata id genus, Typographorum oseitantia, aut imperitia Amanuensium, aut temporis lapsu, in Auctorum opera irrepere posse? An serio, an joco, an alio consilio haec protulerit Poza, aliorum esto iudicium.

Theologicarum hujusmodi Thesium, quae traditae propugnataeque a Sancto Thoma in invidiam vocatae sunt, egregias adornarunt vindicias Joannes a Sancto Thoma, Reginaldus Lucarinus Episcopus Civitatis Plebis, Raimundus Capisuccus S. R. E. Cardinalis, Vincentius Baronius, alique insignes Ordinis Praedicatorum alumni. Praecipua nonnulla dogmata, quae intrusa et inlata quoquo modo dicuntur, iterum ad examen revocare liceat, ut censurae censorumque levitas magis magisque innotescat.

II. Theologica Sancti Thomae thesis est in primo Sententiarum Libro, Dist. 11, Qu. 1, Art. 4, quam his enunciat verbis: « Non praesumimus dicere, quod Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, vel quod sit spirans, vel quod sit spirator; sed quod spirant, et sint spirantes, et sint spiratores. » Quod perinde est, ac Patrem Filiumque dici posse aut debere « duos spirantes duosque spiratores. » Notam inirendam putant Censores; quod etiam olim Petrus de Alliaco censuit anno 1587, in Traetatu contra Joannem Montesonum; tum quod haec sententia aut opinio videtur adversa Constitutioni « 1 de Summa Trinitate, et « Fide Catholica », a Gregorio X editae in secundo Lugdunensi Concilio anno 1274: tum quod eandem Thomae ipse rejiciendam putavit in prima Summae Theologiae parte.

Laudatae constitutionis verba profero: « Damnamus et reprobamus . . . qui praesumpserint asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio, et tamquam ex duobus principis, et non tamquam

« ex uno, procedat. » An catholicae huic definitioni adversa fuerit Sancti Thomae thesis et sententia? Toto errat ostio qui id contendat. Animadvertite, aliud esse in controversiam vocare, num Pater et Filius sint « unum principium » Spiritus sancti, ipsumque « unica spirant spiratione: » et aliud longe diversum, an dici possint, catholica intacta fide, « duo spirantes, duoque spiratores? » Ad primum quod attinet, agens est dogma catholicum, quod allatis verbis definit Gregorius Pontifex; quod eloquiorum divinarum fide Patrumque traditione illustrant orthodoxi scriptores.

Fidem eandem sanctissimam tradit, exponit, vindicat Aquinas in suo in primum Sententiarum Librum Commentario, loco citato. Inquirat Art. 2 « utrum Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio, et in quantum sunt unum? » Egregiam accipe theologiam definitionem: « Dicendum, quod omnis actus referitur ad duo originaliter; scilicet ad agentem, et ad principium actionis. Agens autem est ipsum suppositum, ut homo vel ignis; et principium actionis est aliqua forma in ipso, substantialis, vel accidentaliter. Dico ergo: *ly in quantum potest dicere conditionem agentis, vel principium actionis. Si dicat conditionem agentis vel operantis; sic procedit Spiritus sanctus a Patre et Filio, in quantum sunt plures, et in quantum sunt distinctae personae; quia ab eis pluribus et distinctis procedit. Si autem dicat principium actionis; sic dico, quod procedit ab eis in quantum sunt unum. Cum enim operatio non sit nisi ab uno principio, oportet aliquid esse unum in Patre et Filio, quod est principium hujus actus, qui est spirare, qui est unus et simplex, quia una et simplex persona Spiritus sancti procedit. » Ita catholicae quaestionem expedierat Aquinas, quam postea in Lugdunensi Concilio credendam proponit Summus Pontifex Gregorius. Ulteriore doctrina eandem explanat et confirmat Doctor Angelicus, Art. 5, inquirens: « utrum Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio, et in quantum sunt unum natura? » Disertissima haec habet documenta, catholicae fidei apprime consona. 1. « Patrem et Filium spirare Spiritum sanctum, in quantum sunt unum in potentia spirativa: 2. Procedere Spiritum sanctum a Patre et Filio, in quantum sunt unum in essentia. 5. » Itemque « in aliqua notione, scilicet in communi spiratione. »*

III. Haecenus de fide, quam catholica docet Ecclesia. Emergentem versat Aquinas quaestionem, Art. 4, inquirens: « utrum Pater et Filius sint unus spirator; Ad loquendi dicendum modum quaestio spectat: ac spirantes, imo et spiratores duos dici posse Patrem et Filium, Thomae opinio est. Integram profero textum. « Actus recipit numerum a suppositis (quamvis enim actus sit unus, ut ait ad 1, tamen quando significatur ut actus egrediens a pluribus suppositis, oportet quod significetur pluraliter). Unde etiam verbum significans substantiam per modum actus, dicitur de pluribus personis pluraliter, quamvis sit essentia una: sicut Joannis X: Ego et Pater unum sumus (Nota verbum illud, « sumus »). Actus autem significatur etiam in verbo et participio et in nomine verbali: sed tamen participium plus accedit ad substantiam, quam verbum; et adhuc nomen verbale magis quam participium. Et ideo non

« praesumimus dicere, quod Pater et Filius spirant Spiritum sanctum; vel quod sit spirans, vel quod sit spirator; sed quod spirant, et sint spirantes et sint spiratores. Quamvis sit actus unus quod spirant; tamen secundum quod unumquodque eorum magis accedit ad significandum actum, minus proprie potest in singulari praedicari. » Dignissima sunt animadversione postrema haec verba, quae summam ad concordiam revocant, quae varia videntur in hac re Thomae nostri adserta. Addiscimus 1. proprie dici et enunciari, quod Pater et Filius spirant; propterea quod verbum magis accedit ad actum; 2. dici quidem posse, « Patrem et Filium esse duos spirantes, » sed hanc « minus proprie » intelligi enunciationem debere: cum participium recedat ab actu, magisque ad substantiam accedat; 3. « minus » adhuc « proprie » dictum illud accipiendum esse « quod Pater et Filius sunt duo spiratores; » eo quia nomen verbale longe minus ad actum, magisque accedit ad substantiam.

Definito sensu magis minusque proprio, qui praedictis inest enunciationibus; eaque thesi vindicata, quae Patrem et Filium adserit, sensu minus proprio, « spiratores duo » ad insigne discrimen illud exponendum Thomas accedit, quod inter actum spirationis, actumque creandi intercedit, ac inter verba, participia et verbalia nomina, quibus actus illi significatur. Egregii absolutique Theologi minus erat, haec omnia diligentius expendere, ac splendidissime dilucidare. Ait ille loco citato ad 2: « Dicendum, quod creatio est actus trium personarum, non secundum quod distinctae sunt, sed secundum quod ununtur in essentia: quia etiam per intellectum remota distinctione personarum, adhuc remanet creatio. Et ideo dicimus, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unus creator, quamvis non dicamus quod sint unus creans: quia nomen verbale plus recedit ab actu quam participium. Sed spiratio est actus conueniens suppositis quodammodo, secundum quod distinguuntur; et ideo etiam in nomine verbali oportet quod actus pluraliter significetur » (nihil tamen proprie). Discriminis rationem eandem uberius confirmat Dist. 29, Q. 1, Art. 4, ad 2, quae ipsum permovet, ut opinaretur, spirationis actum, sive is enuncietur verbo sive participio, sive nomine verbali, falsa majori minorive significanti proprietate, in numero plurium elerri posse aut debere in Sanctissima Trinitate: tum scilicet quia spiratio, cum sit actus, « recipit numerum a suppositis; » tum quod ipsis quodammodo convenit suppositis, « secundum quod distinguuntur. »

Viam inquit paulo diversam in Prima parte Q. 54, Art. 4, ad 7, « Quidam dicunt, inquiens, quod Pater et Filius, licet sint unum principium Spiritus sancti, sunt tamen duo spiratores propter distinctionem suppositorum: sicut etiam duo spirantes, quia actus referuntur ad supposita. Nec est eadem ratio de hoc nomine creatio: quia Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, ut sunt duae personae distinctae; non autem creatura procedit a tribus personis ut sunt personae distinctae, sed ut sunt unum in essentia. » Paucis collecta sunt, quae latiore calamo tradita leguntur in Commentario in primum Sententiarum librum. Sententiam quam eo loco amplexus fuerat Aquinas, ex parte corrigit: « Sed videtur, inquiens, melius dicendum, quod quia spirans adjectivum est, spi-

« rator vero substantivum: possumus dicere, quod Pater et Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum: non duo spiratores propter unam spirationem. Nam adjectiva nomina habent numerum secundum supposita; substantiva vero a seipsis secundum formam significatam. » Quod vero Hilarius dicit, quod Spiritus sanctus est a Patre et Filio, auctoribus; exponendum est, quod ponitur substantivum pro adjectivo. »

Haec duo Sancti Thomae loca sunt, quae proferre, ac si opposita forent, pretium operae non erat: quamquam nec ipsi vertendum esset delectori, si provector aetate, ac doctior factus, opinionem revocasset, quam junior secutus fuisset. At plura denique animadvertenda sunt. 1. Partem illam, quae spirantes duos in Sanctissima Trinitate enunciat, posteriore in loco confirmari ab Aquinate. 2. Partem alteram de duobus Spiratoribus revocari, nulla tamen censurae nota adhibita. 3. Priore in loco permissum, ut « Spiratores duo » dicerentur, minus tamen proprie: propterea quod nomen verbale, « Spirator, » magis accedit ad substantiam, quam ad actum ut « adjacenter significatum. 4. Loco altero enunciationem adoptari magis propriam, cum nomen ipsum verbale juxta leges grammaticas dici debeat substantivum, ac nomina substantiva « a seipsis » numerum habeant secundum formam significatam. 5. Totum denique in id reduci quaestionis momentum, num illa enunciatio « duorum spiratorum, » utpote minus propria supprimi, an permitti debeat? Rejicit eam, « melius » consultus posteriore in loco: quamquam exempla occurrant apud Ecclesiae Patres, quae alteri favent enunciationi, Hilario dicente: Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio, auctoribus.

IV. Discrimen illud, quod nomina « adjectiva » inter ac « substantiva » constituit Aquinas, carpere videtur Dionysius Petavius. Ad examen voco criticam Viri doctissimi animadversionem. De illo discrimine diligentiore opera Thomas dixerit in prima Summae Theologiae Parte, Quaest. 59, Art. 5. Textum affero: « Quae substantive essentiam significant, praedicantur de tribus personis singulariter tantum, et non pluraliter: quae vero adjectivae essentiam significant, praedicantur de tribus personis in plurali. Quia nomina substantiva significant aliquid per modum substantiae; nomina vero adjectiva aliquid per modum accidentis, quod inhaeret subjecto (Non ipsa consideratur res significata, sed significandi modus). » Substantia autem, sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem vel multitudinem: unde et singularitas vel pluralitas nominis substantivae attenditur secundum formam significatam per nomen. Accidentia autem sicut esse habent in subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem vel multitudinem; et ideo in adjectivis attenditur singularitas et pluralitas secundum supposita. » Hinc in Divinis dicimus tres existentes, vel tres sapientes, aut tres aeternos et increatos et immensos si adjectivae sumantur: si vero substantive sumantur, dicimus unum increatum, immensum, et aeternum, ut Athanasius dicit » (in Symbolo, quod ejus nomine inscriptum vulgatumque est). Par est ejusdem Thomae doctrina in 1, Dist. 59, Qu. 1, Art. 4, ad 2.

Haec sunt, quae addidit Petavius Libro 5 de Trinitate Capite 9, num. 9: « Haud scio, inquiens,

• an discrimen istud adiectivorum substantivorum •
 • quae nominum in illis symboli verbis locum ha-
 • beat. Quis enim nomina haec aeterni, omni-
 • tentis, increati, immensi, aliter ab Auctore sym-
 • boli, quam adiective, usurpata esse sibi persuadeat?
 • Quid autem necesse est, rem ad tantas angustias
 • deducere, ut contra Grammaticorum regulas af-
 • firmandum sit, vocabula ista esse potius substan-
 • tiva quam adiectiva, quae substantivorum con-
 • ditionibus carent, adiectivorum habent omnes?
 • Equidem, quod tanti Viri (Sancti Thomae) ac
 • Theologorum caeterorum pace dictum sit, aliter
 • existimo: non esse in illis Athanasiani symboli
 • • ac similibus Veterum sententis differentiam illam
 • • interponendam substantivi vel adiectivi nominis. »
 Quocirca ita loquuntur Auctorem ideo censet Petavius, ut Ariam haeresim longe lateque gras-
 santem fortius profligaret: quae Trinitatem ex tribus
 componebat personis inaequalibus, et substantia
 diversis, quarum singulae singulis constabant ut
 naturis, ita proprietatibus naturae, et attributis.
 Quo tamen in loco intactum video a Viro doctis-
 simo relinqui discrimen illud quod Aquinas repetit
 in nominibus adiectivis et substantivis ex diverso
 significandi modo. Hinc oriri posse negaverit nemo
 loquendi rationes varias, quae in exponendo San-
 ctissimae Trinitatis mysterio, ut error omnis evi-
 teretur, ut usurpari debeant, aut rejici. Advocari
 vero pronum foret non modo Patres, qui Arianae
 haereseos tempore « tres » inficiabantur in Divinis
 • aeternis, increatis, immensis, omnipotentibus
 • verum etiam qui sequiore aetate floruerunt, ut Al-
 • cium, aliosque, qui juxta praedictum nominum
 discrimen temperasse videntur loquendi modos.
 Scripturam quoque sententiae occurrunt, quas non
 ita facile exponas, nisi eodem adhibito discrimine:
 praestoque exemplum est in S. Hilarii dicto, lib.
 2 de Trin., num. 29: « Constatendum est Spiritus
 • sanctus, Pater et Filius, auctoribus; » nomine
 isto adiective usurpato, non substantive. Itaque, Pe-
 tavii pace, haud ambigo fore, ut in nominibus ad-
 jectivis et substantivis, ad Sanctissimam Trinitatem
 translatis, traditum ab Aquinate discrimen Theo-
 logi quique usurpare pergant et tucantur.

CAPUT II.

*Thesis, quae Verbum divinum enunciat adsum-
 pisse hominem, quo sensu catholice dicta: quove
 sensu pro varia hypostasis et personae acce-
 ptione, aut haeretica, aut erronea habenda.
 Animadversio in Petavii sententiam. Nota cen-
 soria ab Aquinate iniusta.*

I. Alia sequuntur ejusdem S. Thomae loca,
 quae veluti pugnancia, ac si in eorum altero cubet
 error, in medium proferuntur ab adversariis. In
 tertio Sententiarum libro, Dist. 6, « opinionem »
 quamdam refert Petrus Lombardus, quae admitti-
 bat, tum « Filium Dei assumpsisse hominem, »
 tum in Christo « duas esse hypostases, aut duo
 • supposita, non vero personas duas. » Apud ve-
 teres Patres, sive qui ante, sive qui post haeresim
 Nestorianam scripsere, haud raro dictum legitur,
 adsumptum hominem a Filio Dei. Homo si ac-
 ciptur pro humanitate « in concreto, » ut inquit,
 sive pro humanae naturae individuo, corpore-qui-
 dem et anima rationali constante, propria tamen

non affecto personalitate, obtruditur nihil, quod ab
 orthodoxa fide abhorreat.

Addit allata opinio hypostasis quamdam, quae
 non sit persona. Hanc Divus Thomas expendens
 in Commentario Qu. 1, Art. 2: « Sciendum, ait,
 • quod prima opinio non est haeretica. » Rejicien-
 • dam utique illam jubet, ut infra dicendum; nihilo-
 minus putabat, notam haereseos haud illi inurendam
 esse; propterea quod « ponebat, quod erat facta
 • unio secundum hoc, quod persona Verbi inceptit
 • esse illa substantia » (seu illa hypostasis, ex anima
 rationali et humana carne composita:) unde non
 admittebat, « unitum accidentaliter Filio Dei, ut
 • hominis tunicae homini, » quod adseruit Dio-
 scorus: « neque per modum aggregationis, sicut
 • lapidem lapidi in aeervo, neque aliquo accidente,
 • sicut homo unitur Deo per amorem vel gratiam »
 quod Nestorii commentum est. Id in Aquinate re-
 prehendum, jam olim notavit Petrus de Aliaco
 loco superius citato.

Alia mens esse videtur Praeceptoris Angelici in
 tertia Parte, Qu. 2, Art. 6. « Quidam concesserunt,
 • runt, inquit, unam Christi personam: sed
 • posuerunt duas hypostases, sive duo supposita;
 • dicentes, hominem quemdam compositum ex
 • anima et corpore, a principio suae conceptionis
 • esse assumptum a Dei Verbo. Et haec est prima
 • opinio, quam Magister ponit in sexta Distinctione
 • Tertii Libri Sententiarum. . . Et incidit in haereseos
 • Nestorii. . . quia idem est ponere duas
 • hypostases, vel duo supposita in Christo, quod
 • ponere duas personas, ut supra dictum est (Art.
 • 5). Et si fiat vis in nomine Persona, considerandum
 • est quod etiam Nestorius utebatur unitate per-
 • sonae propter unitatem dignitatis et honoris:
 • unde etiam Quinta Synodus definit anathema in-
 • eum, qui dicit unam personam secundum digni-
 • tatem et honorem et adorationem, sicut Theo-
 • dorus et Nestorius insanientes conscripserunt. . .
 • Unde etiam prima opinio, quae ponit duas hypo-
 • stases, non est dicenda opinio, sed haeresis in
 • Conciliis ab Ecclesia damnata. » Paucis verbis
 rem eandem complectitur Q. 4, Art. 4. « Unde prima
 • opinio, inquit, quae ponitur in sexta Distin-
 • ctione Tertii Libri Sententiarum, concedit ho-
 • minem esse assumptum: sed illa opinio erronea
 • est, ut supra dictum est. »

Rejctam vides ab Aquinate opinionem illam,
 quae unam in Christo personam fatebatur, sed
 hypostases duas duoque supposita distinguebat
 eandemque censuram notatam, tamquam « erroneam,
 • et incidentem in haeresim Nestorii: » neque
 demum « opinionem » dicendam esse, sed « haereseos
 • resim in Conciliis damnata. » Locus igitur alter,
 in quo animadvertit Thomas, haec « opinionem
 • non esse haeticam », vitio laboret oportet,
 quod non excedit ex calamo Thomae, Auctore
 Poza, sed quod invexerit imperiti Amanuenses,
 aut oesitantis Typographi.

II. Quam varia sunt hominum ingenia! Locum
 ex Commentario desumptum carpit Poza: locum
 alterum ex tertia Parte notat Petavius. Verba ejus
 sunt Libro 4 De Incarnat., Capite 12, num. 5:
 • Mirum est, S. Thomam sic priorem opinionem
 • interpretari, uti duas hypostases ab illa totidem
 • naturis ascribi velit, non duas personas. Atqui
 • Nestoriana haec erat blasphemiam, duarum hypo-
 • staseon conjunctionem in Christo ponere: quae

« si prima opinio defenderet, non eam probaret,
 • vel de ea saltem dubitaret Magister; sed sine
 • haesitatione ac continuo damnaret. Non igitur
 • existimandum est, primae istius auctores senten-
 • tiae, hominem illum ex anima et carne prius
 • ratione conflatum, quam cum Verbo et in Verbo
 • subsistentem, esse hypostasis arbitratos esse;
 • sed individuum aliquam naturam, quae ante spe-
 • etari in se debeat suis ex partibus coagmentata
 • et existens, quam unita Verbo. » Et num. 4:
 • Merito rejicitur opinio prima, si duae in Christo
 • ponuntur hypostases, ita ut vox, « hypostasis, »
 • communi et Graecorum usu Patrum detrita si-
 • gnificatione sumatur. Caeterum si non hypostasis
 • proprie dicta homo ille cum Verbo junctus in-
 • telligitur, sed substantia aliqua individua, et na-
 • turam perfectam habens, non est poenitenda. »

Hic opinionis illius primae si fuerit sensus, cur
 de ea saltem dubitavit Magister? Constat, quippe
 fide catholica, individuum naturam humanam ad-
 sumptam a persona Verbi divina fuisse. Avo illo
 existisse Theologos, qui hypostasis vel suppositum,
 veluti quid medium intelligerent inter personam
 et naturam individuum, agnovit etiam S. Bonaven-
 tura, ibid. Qu. 1, in Concl. ubi adnotat: primae
 illius opinionis Auctores « duo » adseruisse « sup-
 • posita » in Christo, « duasque res, » ac duas
 hypostases: « veluti quae tenent medium inter
 • dualitatem naturae et dualitatem personae. »
 Hinc tria in homine discerniebant illi: scilicet na-
 turam humanam individuum, haec anima rationali
 et carne haec conflata: hanc deinde naturam in-
 dividuum, hypostasi quamdam aut substantia affec-
 tam, factamque suppositum: eandem denique per-
 sonam. Favent interpretationes Petri de Tarentasia,
 et Ricardi de Mediavilla apud Dionysium Carthusi-
 anum; ipseque Dionysius sic ait: « Prima sen-
 • tentia est eorum qui dicunt, in ipsa Verbi in-
 • carnatione hominem quemdam, ex anima ratio-
 • nali et humana carne constitutum. . . Et ille
 • homo coepit esse Deus: non quidem natura Dei,
 • sed persona Verbi. Et Deus coepit esse homo
 • ille. . . id est coepit esse quaedam substantia, ex
 • anima rationali et humana carne subsistens. . .
 • Et dicitur, illum hominem ex anima rationali et
 • humana carne subsistere. » Patet quam maxime,
 primae opinionis auctores id utique voluisse, ut
 Verbum divinum non adsumperit personam hu-
 manam, sed neque individuum tantum naturae
 humanae: hanc vero, et individuum et subsistentem
 suae personae conjunxerit. Quo sensu rejecto, opinio
 prima differret nihil ab altera, quam Magister Sen-
 tentiarum veluti distinctam affert: quippe quae
 enunciebat, « personam Verbi, quae antea simplex
 • erat, per incarnationem factam esse compositam
 • ex divinitate et ex humanitate » (sine dubio
 individua): vel « personam Verbi, quae in una
 • tantum natura (divina) existebat, in duabus
 • post unionem, et ex duabus subsistitibus naturis,
 (divina et humana, utraque individua). »

III. Opinionem priorem illam vocat ad examen
 S. Thomas in Commentario, cum junior esset, ac
 tertia Parte Summae Theologiae, aetate provectus.
 Utroque in loco eam rejicit, ac multiplici profligat
 ratione: ac una diversitas est in censuram nota, qua
 sit eadem confingenda. In Commentario sic habet:
 • Prima opinio ponebat, quod erat facta unio se-
 • cundum hoc, quod persona Verbi inceptit esse

« illa substantia (individua et subsistens, quae
 • dicitur homo ille, ut infra) quod quidem non
 • est intelligibile, ut duorum unum fiat alterum,
 • nisi per conversionem unius ad alterum: imo
 • impossibile est, ut prius dictum est (Art. 1); et
 • ideo non sustinetur. » Tametsi vero ea sustineri
 non debeat opinio, utpote quae unionem « non
 • intelligibilem, imo impossibilem » obtruderet; ni-
 hilominus censebat Commentator Thomas, reji-
 ciendam eam non esse veluti « haeticam. » Quod
 ait, instituto examine, his rationum momentis qua-
 dere nititur. « Quod habet esse completum, in quo
 • subsistit, non potest uniri alteri (completo) nisi
 • tribus modis. Vel accidentaliter, ut tunica homini. . .
 • vel per modum aggregationis, sicut lapis unitur
 • lapidi in aeervo; vel aliquo accidente, sicut homo
 • unitur Deo per amorem vel gratiam. Et neutra
 • harum est unio simpliciter, sed secundum quid:
 • quarum primam posuit Dioscorus, alteram Ne-
 • storius. . . Sciendum tamen, quod prima opinio
 • nullum praedictorum modorum unionis ponebat;
 • unde non est haeretica. Sed ponebat, quod erat
 • facta unio secundum hoc, quod persona Verbi
 • inceptit esse illa substantia (natura humana in-
 • dividua et subsistens), quod quidem non est
 • intelligibile. » Haec de re luculentissime dis-eruerat
 in Articulo superiore ad 5. Verba ejus haud licet
 praeterire. « Sciendum tamen est, quod prima
 • opinio, quamvis poneret duas hypostases, non
 • tamen diversas personas posuit. Ex hoc enim
 • quod persona est individuum rationalis naturae,
 • quae est completissima, et ubi stat tota intentio
 • naturae; habet, quod significet completissimum
 • ultima completionem, post quam non est alia: unde
 • cum poneret hominem assumptum unitum Verbo,
 • non dabat ei rationem personae; dabat ei tamen
 • rationem hypostasis, in quantum erat subsistens.
 • Nec tamen ponebat, quod homo ille uniretur
 • divinae personae in accidente: quia sic non di-
 • ceret quod praedicaretur quid, sed quod esset
 • accidentaliter unitum. . . Sed ponebat quod
 • persona Verbi esset illa hypostasis: quod tamen
 • non est intelligibile. »

Sibi semper constat, neque anceps est unquam
 Aquinas in ea rejicienda ac profliganda opinione.
 Censuram haereseos, qua abstinuit in Commentario,
 inurere videtur in tertia Summae Theologiae Parte.
 Vocabula personae et hypostasis diligentius expendit
 Qu. 2, Art. 5 et 4, docetque: « Personam super
 • hypostasis non addere nisi determinatam na-
 • turam, scilicet rationalem: adeoque idem esse;
 • attribuire propriam hypostasis humanae naturae
 • in Christo, et propriam personam; » et in Conci-
 liorum denique definitionibus, quibus Nestoriana
 haeresis condemnatur, perinde in Christo rejectas legi
 « duas personas », atque « duas hypostases » aut
 « duas substantias. » Hinc opinionem illam, quam
 in Commentario existimabat notari haud oportere
 veluti « haeticam », rejicit hoc loco tanquam
 « erroneam, et incidentem in haeresim Nestorii, et
 • in haeresim in Conciliis ab Ecclesia damnata. »

An ergo inter sese illa pugnancia haec duo loca
 fuerint, ut ambo Divo Thomae attribui pudeat, ac
 prior Commentarii locus depravatae manu vitiatius
 dici debeat? At sane potuit Aquinas, loco in altero
 opinioni saepe dictae notam haereseos inurere, ab
 eaque abstinere in altero, qui postea excesserit,
 ac partibus egregii Theologi prius defuerit. Quinimo

dixerim, ab Angelico Praeceptore vel in ipsa tertia Parte Summae Theologiae non tam opinionem illam veluti « Haeresim Nestorii » notari, quam potius « erroneam, et incidentem in haeresim: » quas utique censuras notasque norunt periti Theologi a « propositione haeretica » longe diversas. Res haec ut innotescat, verba ejus, quae habentur Qu. 16, Art. 1, diligentius exequenda propono. « Alii concedunt hanc propositionem (Deus est homo) « cum veritate utriusque termini, ponentes, Christum et verum Deum esse, et verum hominem: « sed tamen veritatem praedicationis non salvant. Dicunt enim, quod homo praedicatur de Deo « per quamdam conjunctionem vel dignitatis, vel auctoritatis, vel etiam affectionis, aut inhabitationis: et sic posuit Nestorius Deum hominem esse, « ut per hoc nihil aliud significetur, quam quod Deus est homini conjunctus tali conjunctione, « quod homo inhabitetur a Deo, et uniatu ei secundum affectum, et secundum participationem auctoritatis et honoris divini. Et in similem errorem incidunt quicumque ponunt duas hypostases, vel duo supposita in Christo: quia non est possibile intelligi, quod duorum quae sunt secundum suppositum vel hypostasim distincta, « unum proprie praedicatur de altero; sed solum secundum quamdam figurativam locutionem, in quantum in aliquo conjunguntur: puta si dicamus « Petrum esse Joannem, quia habent aliquam conjunctionem ad invicem. » Idem quod hoc loco, legitur etiam in Commentario momentam rationis: « quia non est possibile intelligi, quia non est intelligibile. » Eamque demum opinionem, quam junior Commentator notare « haereticam » noluit ob adsertam substantialem conjunctionem, licet modo quoque « non intelligibili » expositam; veluti « erroneam » Theologus proventus rejicit: neque tamen vocat eam « haeresim Nestorii », sed « incidentem » in errorem aut haeresim « similem » Nestoriano iniquo commento. Bene et optime coherent omnia.

CAPUT III.

De benedictione panis Eucharistici, et Calicis, an ipsa fuerit consecratio, multiplex Doctorum opinio. Gemina et constans Divi Thomae Aquinatis mens. Aequivocatio tollitur in vocabulo benedictionis. Christophori Matthaei Pfaffii opinio.

I. Thomam nostrum pergunt Adversarii committere cum Synodi Tridentinae Patribus. Pluribus in locis docet ille, Christum Dominum non alio modo nec aliis verbis benedixisse panem et vinum, dum Eucharistiae Sacramentum instituit, quam consecrationem, ac illis utique verbis, « Hoc est corpus meum ». Docent vero Tridentini Patres Sessione 13, capite 1, « institutum » a Redemptore nostro Jesu Christo in ultima coena Sacramentum Eucharistiae, cum « post panem et vini benedictionem », se suum corpus praebere et sanguinem dissertissimis illis verbis testatus est, « Hoc est corpus meum. » Hanc Synodi doctrinam ab Aquinatis opinione dissentientem adjungit. 1. Quod a consecratione distinguitur benedictio. 2. Quod consecratio illis verbis, « Hoc est

« corpus meum », a Christo peracta innuitur; alio vero diversoque ritu benedictio.

Nodum in scirpo quaerunt, qui haec obijciunt. Mens Praeceptoris Angelici diligenter opera scrutanda est, multiplex Doctorum opinio proponenda, allegandi Patres Ecclesiae qui favent Aquinati, aequivocatio tollenda quam praefert vocabulum benedictionis, castigandi demum qui coenam eucharisticam exponentes, Judaeorum traditionibus nimium adhaerent. De consecrationis forma agit Aquinas in quarto Sententiarum libro, Dist. 8, Quaest. 2, Art. 1, et in Summae Theologiae tertia Parte, Qu. 78, Art. 1. Utrouque in loco Matthaei verba opponit, quae habentur Capite 26. « Coenantes illis, accepit Jesu panem, et benedixit, et fregit, et deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite, Hoc est corpus meum; » Quibus confici videtur, consecratum fuisse a Jesu Christo panem, antequam verba illa proferret, « Hoc est corpus meum. »

Aquinatis responsum accipe, quod in Commentario legitur: « Circa hoc est quadruplex opinio. « Quidam enim dixerunt, quod Christus qui habet potestatem excellentiae in Sacramentis, absque omni forma, virtute divina confecit: et postea verba protulit, sub quibus alii deinceps consecrarent. Et hanc opinionem tangit Innocentius (III.) dicens: Sane dici potest, quod Christus virtute divina confecit, et postea formam expressit, « sub qua posteri benedicerent. Sed hoc non videtur conveniens: quia in textu Evangelii dicitur, « Benedixit: quod aliquibus verbis factum est. Innocentius autem loquitur, opinionem uarrando, » vel tangendo ordinem quo virtus consecrationis a Christo, in quo primo erat, ad verba derivata est: Et ideo alii dicunt, quod confecit quidem sub aliqua verborum forma, non autem sub his, sed sub aliis verbis ignotis. Sed hoc etiam videtur inconveniens: quia Sacerdos his verbis conficiens, ea proferat ut tunc a Christo prolata: unde si tunc eis non fiebat confectio, nec modo fieret. Et ideo alii dicunt, quod confecit sub eisdem verbis, sed ea bis protulit: primo tacite cum benedixit, secundo aperte cum distribuit, ut formam consecrandi aliis traderet. Sed hoc etiam videtur inconveniens: quia non proferuntur a Sacerdote consecrante in persona Christi, ut in occulto prolata: non enim benedixit dicens, « Hoc est corpus meum; sed dedit dicens, Accipite etc. Et ideo alii dicunt, et melius, quod Christus ea semel tantum protulit, et eis prolatis consecravit, et formam consecrandi dedit. Hoc enim participium, dicens, non importat concomitantiam solum ad hoc verbum, dedit; sed ad hoc cum aliis praedictis, ut sit sensus: dum benedixit, et fregit, et dedit discipulis, haec verba protulit, Accipite etc. Vel secundum quosdam, « Evangelista non servat ordinem verborum, quo a Domino prolata fuerunt. Ordo enim fuit talis: accepit panem, et benedixit dicens, accipite etc. » Quatuor easdem sententias refert in tertia Parte: duplicemque recenset modum quartae opinionis, ipsamque amplectitur, qui « concomitantiam » involvit « verborum prolatorum ad ea quae praecedunt. »

Opinionem primam exhibet Innocentius III, libro 4. Mysteriorum evangelicae legis Capite 6. Tribuitur altera Odoni Cameracensi Episcopo, in Expositione Sacri Canonis Dist. 3, Tomo 21. Lu-

gdunensis Bibliothecae Patrum: qui tamen quemadmodum discretissime tradit, Christum « benedictionem suam corpus fecisse, ita minime prodit, an signo, an verbis, et quibusnam, benedictio illa peracta fuerit. Tertiae autem est Stephanus Educensis Episcopus, de Sacramento Altaris Capite 14, Tomo 20 Bibliothecae Patrum. Quartam denique refert loco citato Innocentius III. In eo praecipua stat summa ejus, ut Christus panem effecerit corpus suum verbis illis, « Hoc est corpus meum; » eademque verba ad ipsam pertineant panis benedictionem, sive demum ea protulerit Christus ante fractionem ejusdem panis, sive eodem tempore quo panem frangebat, dabantque discipulis suis.

Opinio sequitur S. Bonaventurae in eodem Sententiarum libro 4, Dist. 8, Art. 2, Quaest. 3, ad 1, ubi sic ait: « Ad illud quod obijcit, quod prius benedixit: dicendum, quod benedictio illa non fuit consecratio, sed fuit quaedam praeparatio, vel magis quaedam orationis sive gratiarum actionis praemisio; in qua ostendit nobis, nullum cibum attrahendum, nisi praevia benedictione. Unde mos est ecclesiasticorum virorum, « ad omnem cibum praemittere benedictionem. » Hanc plerique Theologorum amplectuntur opinionem, quae panis benedictionem distinguit a consecratione: sed alii tamen consecratum a Christo panem existimant ante fractionem panis, alii post panem fractum, dum illum Salvator distribueret discipulis suis.

Favere videtur textus Graecus, in quo verbum illud, « benedixit, participio aoristo effertur apud Matthaeum Capite 26, v. 26: ἐλογγίζα: quod reddi solet per praeteritum plusquam perfectum, « cum benedixisset. » Ipse latinus Interpres significatione praeteriti utitur Capite 6, Joannis vers. 11, « Accipit ergo Jesus panem, καὶ εὐχαριστῶν, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: » itemque Actor, Capite 27, vers. 33, « Sumens Panem » Paulus, ἀράζων, cum fregisset coepit manducare. Verum enim vero candido fateatur animo Franciscus Sylvius, cui maxime arridet S. Bonaventurae opinio, non pauca in sacris litteris loca reperiri, ubi similes aoristi per praeteritum imperfectum reddendi sunt. Matthaei Capite 23, vers. 25, legitur: ἀποκριθεὶς, « respondens autem, seu cum responderet » Judas, qui tradidit eum, dixit etc. » Actorum Capite 3, vers. 3, ἀρτίσας, intuens autem, seu cum « intueretur in eum Petrus cum Joanne, dixit etc. » Haec sunt appositissime dicta. Habent vero, per me licet, illi participiorum aoristi significationem temporis praeteriti plusquam perfecti; adhuc integra sibi constat Thomae sententia, ac sensus est: Redemptorem accipientem panem, cum Deo gratias egisset, ipsumque benedixisset panem, atque benedicens consecrasset per ea verba, « Accipite et comedite, hoc est corpus meum », tum demum fregisse ipsum, ac dedisse discipulis suis.

II. Hanc in aliis locis mutasse Thomam sententiam, Reginaldus Lucarinus innuit in Manuali Thomisticarum controversiarum, conclus. 14. Commentarium Sancti Doctoris refert in Matthaeum: quem lippis oculis et caligantibus legerit Lucarinus oportet, cum eadem recenseatur confirmeturque opinio. Verba ejus accipe. « Melius dicitur, quod semel dixit, et non bis, et in his verbis consecravit. Unde debet ita legi, quod illud quod dicitur, ait « (Accipite et comedite, hoc est corpus meum) »

« referatur ad praecedentia » ad illud nempe, benedixit, « ac illud » fregit, « et illud, » deditque discipulis suis. » Luculentiora profero, quae habentur in Commentario in Epistolam 1 ad Corinth. Cap. 11, vers. 24, Textus est: « Accipit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum. » Hic autem dicitur quod prius fregit, postea protulit verba consecrationis. Et ideo quidam dixerunt, quod Christus consecravit prius verbis aliis, et postea protulit verba quibus nos consecramus. Sed hoc non potest esse: quia Sacerdos dum consecrat, non profert ista verba quasi ex persona sua, sed quasi ex persona Christi consecrantis: unde manifestum est quod eisdem verbis quibus nos consecramus, et Christus consecravit. Et ideo dicendum, quod hoc quod hic dicitur, et dixit, non est sumendum consequenter; quasi Christus accepit panem, et gratias agens fregit, et postea dixerit verba quae sequuntur; sed concomitanter, quod dum accepit per se panem, gratias agens fregit, et dixit. Et ideo cum Matthaei Capite 26, dicitur, quod Jesu accepit panem, et benedixit, ac fregit; Apostolus non curavit hic de benedictione facere memoriam: intelligens, nihil aliud esse illam benedictionem, quam hoc quod Dominus dixit, Hoc est corpus meum. » Mens est apertissima Aquinatis: verbis illis, « Hoc est corpus meum », panis consecrationem a Jesu Christo peractam esse: eademque verba ad ipsius panis benedictionem pertinere: adeoque eadem a Christo prolata vel ante fractionem panis, vel concomitanter » cum fractione panis.

Ab Ecclesiae Patribus haec ipse didicerat sententiam. In libro « de Mysteriis », quem germanum S. Ambrosii foetum evincunt Sammauraci Parisienses Editores, haec habet verba Sanctissimus Archiepiscopus Capite 9, num. 34. « Ipse clamavit Dominus Jesus, « Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur: post consecrationem, corpus significatur. » Joannes Chrysostomus Homilia 24, in Epist. 1 ad Corinth., « ad illa verba Capitis 10, vers. 16: « Calix benedictionis etc. sic habet. » Quid dicis, o Beate Paule . . . Benedictionis calicem vocas, terribilem illum atque formidandum calicem? Etiam, inquit, nam cum benedictionem dico, omnem explicio Dei beneficentiae thesaurum. » Et infra: « Calicem autem benedictionis vocavit, quia illum praecursum habentes, se ipsum celebramus, » admirantes de ineffabili dono, benedicientes quod ipsum effuderit. » Ubi calix consecratus non modo calix benedictionis » appellatur, quia Deo nos benedicimus, ipsumque celebramus, qui ineffabile donum calice illo effudit; verum etiam quia ipsa divinae beneficentiae effusio, quae maxime in consecratione et transmutatione elementorum posita est, jure ac merito benedictio dici debet. Cyrillus Alexandrinus, Eucharistiae Sacramentum ipsamque consecrationem vocat libro IX in Evangelium Joannis: « mysticam benedictionem. » Auctor libri de ecclesiastica Hierarchia, Capite 3, §. 10, haec habet: « Sanctisque Dei operibus laudatis, divinissima consecrat mysteria, et in aspectum adducit quae celebravit; » quibus haec appingitur nota inter Scholia S. Maximi, vel Joannis Seythopolitani: « Manifestum est quod Pontifex sanctum panem attollens, ostendebat τὴν εὐλογίαν, benedictionem,

• (seu sacramentum,) dicens, Sancta sanctis. • Augustini verba sunt in Epistola 149, al. 49, ad Paulinum, num. 16: • Preces accipimus • dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa, • incipiat benedici: (accipimus vero) orationes, • cum benedicitur, et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur. • Arnoldus Carnotensis, Abbas Bonae vallis, in sermone de Coena Domini, in Appendice operum S. Cypriani: • Ex quo a Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, haec est caro mea, et hic est sanguis meus; quotiescumque his verbis et haec fide actum est, panis iste supersubstantialis, et calix benedictione solemniter saceratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit. • His omnibus paria sunt, quae Thomas ad illa Apostoli verba, • Calix benedictionis • habet: Calix, inquit, benedictionis: idest potus calicis, per quem participantes benedicuntur... Cui benedicimus; quod nos fideles exultamus credendo, et gratias agendo: vel cui benedicimus; idest, quem nos Sacerdotes consecramus. •

Momentum hujus opinionis auget probabilis eorum sententia; quia tametsi benedictionem panis distinguant a consecratione, panem tamen consecratum a Christo fuisse ajunt, antequam ipsum frangeret. Parum in eo, quod rei summa est, haec differt opinio a sententia Thomae, qui panem verbis illis, • Hoc est corpus meum, • consecratum exstimat • concomitanter • cum ejusdem panis fractione. Haec ille permotus ratione, panis consecrationem ad ejus benedictionem reducit; eandem benedictionem quodammodo complete acceptam, ut infra explicandum est, nemo jure negaverit ipsius panis consecrationem continere. Quod porro utrique opinioni commune videtur, nititur illis Apostoli verbis in Epistola 1 ad Corinth. cap. 10, versic. 16: • Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? • Quae satis significant (inquit Franciscus Sylvius) sub specie panis quae frangitur, fuisse corpus Domini, nisi quam frangeretur; vel saltem in ea prima institutione, • concomitanter, • ut ait Thomas; seu eodem ipso tempore quo verba proferebantur consecrationis, et panis frangebatur. Hinc Ecclesiarum utique omnium consuetudo profecta, species panis jam consecrati dividendi in particulas. Haec splendidissima persuasio elucet in Liturgiis, quae feruntur sub nomine SS. Joannis Chrysostomi et Basilii, ubi legitur: • Accepto pane in sanctis suis et illibatis • et innoxiiis manibus, cum gratias egisset, et benedixisset, sanctificasset, fregisset, dedit sanctis suis Apostolis et discipulis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, κλωμενον in remissionem peccatorum. • Quo in loco nemo non videt, Christum antequam frangeret, vel cum frangeret panem • benedixisse, • et sanctificasse, • hoc est consecrasset: fractio quippe non ad substantiam panis, sed ad Christi corpus refertur, • quod pro vobis (inquit) • frangitur in remissionem peccatorum. •

Verum tametsi videatur fuisse Ecclesiarum persuasio, consecratum a Christo panem ante ipsius fractionem, vel in ipsa fractione; id attamen religioni habuerunt, ne ordinem narrationis evangelicae ullo modo turbarent, neve in liturgiis recitarent verba Christi, antequam panis et vini fractionis, ac distributionis mentio fieret.

III. Equivocatio in vocabulo • benedictionis • occurrit, quae amputanda est, ut opinio Thomae magis illustretur firmeturque. Non ea mens ejus fuit, ut benedictionem panis atque calicis adhibitam a Christo, qua late patet, in calice dumtaxat verbis, • Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, • positam crederet. Sumentem Christum panem haud unquam inficiatus est, oculos in caelum levasse, egisse gratias Deo pro immenso beneficio per transmutationem elementorum conferendo, ac ipsis elementis bene precatum esse: sed hujusmodi gratiarum actionis et benedictionis praecipuam partem constituendam arbitratus est in illis verbis, quibus vel ante fractionem vel in ipsa fractione prolatis consecrata sunt elementa.

Collata Novi Testamenti loca rem produnt evidentissime. Matthaei capite 26, vers. 26, haec habentur, • Accipit Jesus panem, και εὐλογῆσας et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis; • et vers. 27, • et accipiens calicem, και εὐχαριστήσας, • gratias egit, deditque illis. • Quae priore loco benedictio dicitur, gratiarum actio loco altero appellatur. Marci capite 14, vers. 22, εὐλογῆσας εὐχαριστήσας fregit; • et vers. 23: • Et accipiens calicem, εὐχαριστήσας, gratias agens dedit eis. • Utrobique unius gratiarum actionis mentio ingeritur; et apud Lucam capite 22, vers. 19, • et accipiens panem, εὐχαριστήσας gratias agens, fregit: similiter • et calicem etc. • In historia discipulorum, qui in Castellum Emmaus proficiscebantur, capite 24, vox una benedictionis adhibetur vers. 50: • Accipit panem, εὐλόγησας, benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. • Apostolus denique Epistola 1 ad Corinth. cap. 11, vers. 24: • Accipit panem και εὐχαριστήσας et gratias agens, fregit. • Haec animadvertentes erudit interpretes, admonent 1. εὐλογῆσας perinde esse, atque εὐχαριστήσας, ubi agitur de sancta coena: 2. in divinis eloquiis, et apud Ecclesiae scriptores passim reperiri modos istos loquendi, εὐλογῆσας τινα vel τι, et εὐχαριστήσας τινα vel τι. 3. dictionum haec esse compendia: εὐλογῆσας τὸ ἄρτον, τὸ πῶτρικον dici, pro εὐλογῆσας θεῖον ὑπὲρ ἁρτου, πῶτρικου; pariterque εὐχαριστήσας τὸ ἄρτον, τὸ πῶτρικον, compendium esse plenae ac propriae locutionis, εὐχαριστήσας τὸ θεῖον ὑπὲρ ἁρτου πῶτρικου. 4. Sensum denique proprium germanumque confici, Redemptorem nostrum accepisse panem, laudasse Deum, eique gratias egisse, tamquam conditori et donatori panis et vini, et auctori supremi beneficii, quo ipsa elementa in suum corpus et sanguinem transmutanda fuerant; per illa utique verba, • Hoc est corpus meum; hic est calix sanguinis mei. •

Hinc vero in sacra liturgia, quam olim adhibuit adhibetque omnis Ecclesia, latina, graeca, et orientalis quaeque, constantissime servatum constat, ut beneficia Dei commemorarentur, gratiae agantur ipsi, sacramenti corporis et sanguinis a Jesu Christo instituti memoria recolatur, preces etiam fundantur, ac panis et vino bene preceuntur Sacerdotes: quae demum omnia, gratiarum actiones, et laudes, et preces, ac benedictiones, verbis consecrationis, tamquam praecipua totius liturgiae parte, complentur. Hinc verba eadem frequentius dicta leguntur • benedictio, gratiarum actio, et preces. • Audire praestat Justinum in Apologia I. num. 63, et seq. • Postquam preces, inquit, et Eucharistiam • absolvit, populus omnis exclamavit. Fiat. • Peracta consecratio quae innuitur, vocatur eucharistia, et

benedictio: • Post haec qui apud nos dicuntur • Diaconi panem et vinum et aquam, in quibus • gratiae, actae sunt, ἀπὸ τῆς εὐχαριστήσεως ἁρτου, • unicuique praesentium participanda distribuunt. • Ubi elementa consecrare, perinde est ac in eis gratias agi a Sacerdote. At quibusnam verbis Justino teste, gratiae hujusmodi agebantur? Illis procul dubio: • Hoc est corpus meum. • Luculentissimum accipe testimonium: • Illam in qua per • preces verbis ejus ab ipso profectis, λόγῳ τῆς πρῆξ • αὐτου gratiae sunt actae, alimoniam, incarnati illius Jesu et carnoem et sanguinem esse edocti sumus. • Perspicuum est, preces illas, gratiarum actiones et laudes continere verbum Jesu Christi, ad ipso profectum; eum dixit, • Hoc est corpus meum. • Paria sunt Irenaei verba, Libro 4 contra Haereses, capite 17, al. 54, num. 4: • Hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. • Quomodo autem constabit eis? (Judaeis, et Haeretis) • eum panem, in quo gratiae actae sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus? • Panem et calicem, docet S. Pater, consecrari et fieri corpus et sanguinem Domini, ex quo in eis aguntur gratiae. At hujus gratiarum actionis, seu benedictionis, partem praecipuam in illis consistere verbis, • Hoc est corpus meum etc. • disertissime tradit idem Irenaeus capite 17, al. 52, num. 3. • Sed et suis discipulis dans consilium, • primitias Deo offerre ex suis creaturis. • eum • qui ex creatura panis est, accipit, et gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum etc. • Ecce consecrationis verba conjuncta, ut Aquinas sententia est, cum ipsa gratiarum actione et benedictione. Adde verba, quae habentur in homilia 3, seu in sermone • de corpore et sanguine Domini, • quem alii Eusebio Emiseno, Isidoro Hispalensi tribuunt alii: • Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas • in substantiam corporis et sanguinis sui, • verbo • suo, secreta potestate convertit, ita dicens: Accipite et edite, hoc est enim meum corpus. Et • sanctificatione repetita: Accipite et bibite, hic est sanguis meus. Quando benediciendae verbis caelestibus creaturae, sacris altarium imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrarentur, substantia illic est panis et vini: post verba • autem Christi, corpus et sanguis est Christi. • Verbis ergo Christi peragi consecrationem a Sacerdotibus peractamque fuisse a Jesu Christo in ipsa Sacramenti institutione, Patrum sententia est: qui pariter eadem verba vocant • invocationem supremi • Numinis, • elementorum • benedictionem et sanctificationem, • imo et • gratiarum actionem • super elementis. Cur ita? Quia nempe, quae Dei laudes a Christo celebratae sunt, quae gratiae actae, quae fusae preces, quae supremi Numinis invocationes factae, quaeque his similes ad exemplum Jesu Christi celebrantur et aguntur a Sacerdotibus, laudes, gratiarum actiones, preces et invocationes, complentur omnes verbis illis, • Hoc est corpus meum, • hic est calix sanguinis mei, • quibus benedicta et sanctificata fiunt elementa, eorumdem transmutatione in corpus et sanguinem Domini.

Haec genuina est S. Thomae mens, qui docet constantissime, verba a Christo prolata, quibus consecratio peragitur, pertinere ad benedictionem elementorum: adeoque prolata eadem fuisse • ante • fractionem panis, et distributionem calicis, vel • con-

S. Th. Opera omnia. V. 7.

comitanter • eum eadem fractione et distributione. Loca duo ex Commentariis in Matthaeum et in Apostolum Paulum affero. Ad Matthaei cap. 26, vers. 26, 27, sic habet: • Melius dicitur quod se mel dixit, et non bis (illa verba, • hoc est corpus meum), et in his verbis consecravit. Unde • debet ita legi, quod illud quod dicitur, • Ait, accipite etc., • referatur ad praecedentia (ad benedictionem et fractionem).... Et accipiens calicem, gratias egit: (scilicet) de institutione hujus sacramenti, quia virtute divina hoc faciebat... • Item gratias egit de effectu, quia effectus est • salus totius mundi; et hoc non poterat facere • nisi ex divinitate. • In Commentario ad caput 11 Epistolae 1 ad Corinth. vers. 24, 25: • Accipit panem gratias agens, fregit.... In quo datur • nobis exemplum gratias agendi de omnibus quae • nobis divinitus dantur.... Et dixit, accipite etc. • Non est sumendum consequenter, quasi Christus • acceperit panem, et gratias agens frerit, et • postea dixerit verba quae sequuntur: sed • concomitanter; quod dum accipit per se panem, • gratias agens, fregit, et dixit. Et ideo cum Matth. • 26, d'atur quod Jesus accepit panem, et benedixit, et fregit; Apostolus non curavit hic de benedictione facere mentionem, intelligens nihil aliud esse illam benedictionem (quo ad praecipuam partem), quam hoc quod Dominus dixit, • Hoc est corpus meum. • Dictas a Salvatore laudes Dei, gratias actas, fusasque benedictiones agnovit Aquinas, easque patefacit: doctique, inter illas locum habuisse verba consecratoria, • Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei. •

Eadem est doctrina Synodi Tridentinae, cujus verba sunt: • Hoc sacramentum in ultima coena Redemptoris nostri instituit, cum post panis vinctive benedictionem, se suum corpus illis praebere ac sanguinem, disertis verbis testatus est. • Perinde est ac si dixerint Patres, Jesum Christum, verba illa • Hoc est corpus meum, • proferentem, testatum esse, se discipulis suis dare corpus suum: id videlicet, quod post verba illa prolata, in quibus panis benedictio et consecratio consistit, haud amplius erat substantia panis, sed corpus suum. In ipsa praeterea benedictione si distinguas gratias Deo a Christo actas, suasque preces super pane transmutando, ac demum praecipuam et ultimam benedictionis partem in verbis consecratoris positam; sensus elicitur, a Thoma et ab Ecclesiae Patribus disertissime traditus, ac Synodo Tridentinae apprime conveniens: nempe Redemptorem nostrum, postquam gratias egit Deo, ac bene panem transmutando precatus est, verba illa: • Hoc est corpus meum, • protulisse, vel ante fractionem, vel concomitanter eum fractionem, ipsumque elementum consecrasset. Pugnantem contra Thomam adducere Tridentinos Patres, insaniam est. Rem deique confirmat Catechismus jussu Pii V. ex ipsis Tridentinae Synodi doctrina confectus, de Sacramento Eucharistiae cap. 4, num. 19: • Cum autem haec verba (hoc est corpus meum) id quod fit significent ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri corpus; sequitur, • formam in illis ipsis verbis constituendam esse; • in quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est, • Benedixit, • licet accipere. Perinde videtur intelligendum, ac si dixerit: accipiens panem, benedixit, dicens, Hoc est corpus meum. •